

Heinrich Rudolph Redecker

**Rector Universitatis Rostochiensis Henricus Rudolphus Redeker/ I.U.D. ac  
Pandectarum Prof. Publ. ... Matronarum Clarissimae Agnetae Sassiae, Viduae  
Lindemanniae Funus Solenniter indicit, Et ad eundem Exequias Omnium  
Ordinum Cives Academicos ... invitat ... : [P.P. Sub Sigillo Rectoratus, die IV.  
Iunii, Anno 1679.]**

Rostochii: Keilenbergius, [1679]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn775780774>

Druck Freier  Zugang




Redeker, H. R.,  
in  
Agn. Sass,  
viduam B. Lindemann.  
Rost. 1679.

32.







91.

RECTOR

Universitatis Rostochiensis

HENRICUS RU-  
DOLPHUS Redeker/



D. ac Pandectarum Prof. Publ.  
Consistorij Ducalis Asessor ;  
Consiliariusq; Meclenburgicus,

MATRONARUM Clarissimæ

AGNETÆ SASSIÆ,

Viduæ

LINDEMANNIÆ

Funus

Solenniter indicit,

Et ad eundem Exeqvias

Omnium Ordinum CIVES ACADEMICOS  
seriò studiosq; invitat.

*Convenietur in Æde Marianâ hodiè Hora 1. pomerid.*



ROSTOCHII,

Typis FRIDERICI KEILENBERGII, Acad. Typogr.



N cujus ultimum commenta-  
mur hodiè, ac scribimus hono-  
rem, ea verò MATRONARUM  
ornatissima, non acerbum qui-  
dem, ceu Sexagenariâ major,  
sed improvidum tamen facta  
est funus. Enimverò viva nu-  
perrimè valensq;, nec quicquã  
maligni suspicata, mox autem  
de morbo quæsta, lecto figitur,  
& vix bidui interlabente spacio, expirat. *Usq; adeò non in  
alto (verba recitamus ex lib. de providentiâ SENECÆ) latet  
Spiritus; non utiq; ferro eruendus est; non sunt vulnere impres-  
so scrutanda præcordia. Non certum ad hosce ictus destinavit  
DEUS aut Natura diem; sed nec certum locum. Quæcumq; &  
quocumq; mors est tempore pervia. Ipsum illud, quod vocatur  
mori, quo anima separatur à corpore, brevius est insperatusq;,  
quàm uti sentiri tanta velocitas possit. Sive fauces nodus elisit,  
sive spiramentum aqua præclusit, sive in caput prolapsos subja-  
centis soli durities comminuit, sive haustus ignis cursum animæ  
remeantis interscidit; quicquid est, properat, citiusq; quàm opi-  
neris, incumbit. Ecquæ igitur vesania est, quod tam citò fit,  
tam timere & sapè & diu? Hactenus, quem diximus, Seneca;  
apud quem cum plura certè reperire est alia, oppidò præ-  
clara, eximiaq; , tum nullibi rectius veri functus PHILO-  
SOPHI cernitur officio, quàm ubi de morte nostrâ comen-*

mentatur, aut, quàm fragilis atq; lubrica nostra hominum  
vita sit, commemorat. Sed enim abs PHILOSOPHI sen-  
tentia minimè abluunt, quæ passim in sacris literis super  
eodem hocce negotio visuntur. Is, qui in utero maternò  
ad vaticinandum sanctificatus, puerq; vaticinari orsus  
PROPHETA est, uti *Israëlitis*, imò omnibus omninò homi-  
nibus inculcaret originem, è quâ existerent, & in quam re-  
verterentur tandem, continuâ oratione ter iteravit mate-  
riale illud generationis atq; corruptionis principium, cla-  
mitando cap. XXII, 29. TERRA, TERRA, TERRA, audi ser-  
monem JEHOVÆ. Qui sanè VATIS clamor non in auri-  
bus saltem sonare, sed & in animos omnium, mortalitatem  
hanc incolentium, penetrare debebat: Ceterùm nesci-  
mus qui strepitus alii ita plerumq; sensus mortalium ob-  
struant, uti, quod vociferantur sacra (quin, ceu audivimus,  
profana etiam) oracula, insuper ab iisdem, nonnunquam,  
etiam ludibrio habeatur. Quicquid unquam reliquarum  
est operarum, in eo laborant ac desudant homines; circa  
quæ occupari omnium maximè negocia oportebat, negli-  
gunt. Nihil in hoc mundo reperias aut ita ludicrum, quod  
non excludat, aut ita arduum, quod non expellat ex homi-  
num mentibus memoriâq; clangorem istius cælestis tym-  
pani. Nihil tamen minus abs mortalibus audiri vult VA-  
TIS sui vocem æternus DEUS, ac *identidem* (SENECÆ de-  
nuò referre lubescit verba) *argumento aliquo recenti admo-  
net fragilitatis suæ oblitos, & æterna meditantes respicere cogit  
ad mortem; si fortè excitare nos à securitatis veterno possit an-  
tè, quàm mors vitam, & vitæ somnia discutiat.* Porrò quàm  
non satis firmo vita nostra stet tibicine, sed interitui eadè,  
antè, quàm existimare possis, multò, obnoxia, ejusce rei il-  
lustre pariter de semetipso præbet jamjam moriturus HIS-  
KIAS documentum; *Qui ætatem transportatam abs sese  
suam,*



suam, ceu pastorale tentorium; & ceu textorem telam, vitam præscidisse suam, Esai. XXXIIX, 12. caufatur ac qveritur. Ubi geminâ vitæ præsentis fugacitatem similitudine adumbrari videas. Quarum altera à *tentorijs Pastorum*; à *telis Textorum* altera defumitur. Svetum est opilionibus, ut tabernaculum construunt ex asseribus, idemqve duabus vel quatuor rotis impositum de loco in locum proferant. Quin sæpenumerò idem ipsum tentorium, si ita è re videatur fore, destruunt, penitusq; collabi sinunt, si meliorem fors advertant viam, per quam ovibus ire suis consultum possint. Non absimilis nostra hominum profectò conditio est. Ubi minimè id futurum arbitramur, mutatur locus, finitur vita, tabernaculum domus terrestris destruitur, sed eleganti oppidò permutatione; scilicet ut longè venustior in nobis solidiorq; i. e. ἀχειροποίητος structura exurgat. At jam porrò, telam aliam longiorem, aliam breviorẽ esse; citiùs item aliam, aliam satis tardiùs rescindi, liquidum est, idq; prout *Textori* placuerit, aut ex re visum fuerit ipsâ, ita fieri. Ubi sanè nec alia vitæ conditionisq; humanæ fors deprenditur. Sunt, quibus concisior contingat vita, quiq; vix biennes aut triennes abscondantur. Sunt qui tardè satis abrumpan- tur; idq; planè ita accidit ex instituto atq; beneplacito Conditoris. Telæ tamen habet instar & ista longævorum, & altera concisiùs hæc morantium vita. Quamquam præterea, si quid fors in annis provectoribus cernatur egregii aut excellentis, nil sit omninò aliud, quàm labor, & mera molestia; in texturæ negocio non incommodè *subtegmis* vel vicem obitura, vel habitura locum. Sanè si, quæ ipso hoc die publicitùs effertur, MATRONARUM præstantissima, cuiq; vivendi tela sic tardè satis, & non nisi Sexagenariâ jam majori (uti supra quoq; monebamus)

mus) abrupta est, voce novâ instrueretur, non usurparet, credimus, illa qverula hieromartyris verba: DOMINE, in qua nos reservasti tempora! sed ista, cum indicio lætæ ac gratæ prædicationis potiùs conjuncta: DOMINE, quibus me temporibus voluisti ereptam! Enimverò etsi vultis etiam temporibus non semper benignior aut fortunatior rebus mortalium, adspirârit aura, hodiè tamen, maximè non tantùm communes generis nostri miseræ, sed & gentium ac Civitatum peculiare atq; propriæ,

*velut agmine facto*

*Quæ datâ porta ruunt, & terras turbine perflant.*

Ut adeò longè rectiùs DEO LIBERATORI gratias agere habeant, qvî tantis calamitatibus subducuntur, qvàm qvî periculis diuturnioribus expositi, & suam ipsorum vicem miserantur, & miseriam communem deplorant. Beatam itaq; felicemq; jure prædicamus meritoq; NOSTRAM, ceu quæ optimè hâc in vitâ tot transegerit annos suos, fideq; verâ instructa, spe certâ fulta, patientiâ non morosâ munita, pie feliciterq; ex hâc miserâ ac caducâ, in æternam melioremq; vitam commigrârit. Nos quæ ultimo FUNCTÆ honori servitura arbitrabimur, compendio jam porro attexemus. Nata est Anno Seculi hujusce XV. die 23. Nov. Patre VIRO Cl. & Excellentis. DN. M. PETRO SASSIO, Logices Professore Publ. & Collegij Philosoph. Seniore gravissimo; Matre; EUPHROSYNA Hagemeisters / Gustrovianâ; Feminarum optimâ. Avus paternus fuit VIR præstantissimus, DN. JACOBUS SASSIUS, Civis apud nos & Mercator Primarius; Avia paterna, ANNA BURENIA, virtutibus instructissima Matrona. Proavus paternus extitit DN. PETRUS SASSIUS, Senator Reip. hujus Spectatissimus. Proavia paterna, THALIA TURCOVIA, ex per-antiqva TURCOVIORUM Fami-

Familiâ oriunda. Maternum avum habuit DN. BERNHARDUM HAGEMEISTERUM, Güstroviensium Senatorem Prudentissimum, Doctissimumq; Aviam maternam ANNAM *Semichy*/beati DN. M. BERNHARDI *Oemichy*, Superintendentis olim Güstroviensis pl. Rev. Clarissimiq; Filiam. Proavo gavisâ est materno Spectatissimo prudentissimoq; VIRO, DN. JOACHIMO HAGEMEISTERO, Senatore Güstrov. bene-merentissimo: Proaviâ verò maternâ ANNA *Albrechts* / Lubecâ è primariis parentibus oriundâ, ipsâ verò etiam Feminarum ornatissimâ. Hæc origo; hi Parentes Majoresq; NOSTRÆ. Quæ ut primum nasceretur, aut conspiceretur lucem, princeps Parentum optimorum cura fuit, uti per S. Baptismi lavacrum regenerita, in verarum DEI Filiarum, cælestemque adeò hereditatem aliquandò aditurarum, numerum adscisceretur: altera autem, ut eleganter, piè, pudicè, castèque educaretur. Quæ ipsa etiam res adeò cessit feliciter, ut jam adultior, aptaq; conjugio, ob præclaras eximiasq;ve, quæ in ipsâ visebantur, nec unas virtutes, facillè conditionem aut procum reperiret. Enimverò XXXIX. Seculi præsentis Anno, dieq; 25. Maji, cælo ita disponente, nec nolentibus suis, juncta solenni est copulâ VIRO Ampliss. DN. BERNHARDO LINDEMANNO, Senatori Reip. nostræ & Proto-notario Spectatissimo; quo cum & pacatè, & satis diu, totos sc. XXX. annos vixit; trium præterea ex eodem mater Filiorum facta; BERNHARDI nimir. THOMÆ & PETRI; Equibus unus (ô diem verè *αποφράδα!*) glacie, per quam fortè hiberno ierat tempore, fractâ, aquis mersus, suffocatusq; puer est: reliqui duo nec ipsi nimis supermansere diu, sed florentissimâ ætate extincti, cæloq; undè venerant, unâ cum fratre tertio, restituti sunt. Qui tam præproperi aut inopini egregiorum,  
Filio-

Filiorum casus utrumq; Parentem nimio perè excrucia-  
runt. NOSTRA verò ex MARITI tandem ipsius, quam  
Anno LXIX. die 9. April. passa est, jacturâ, dolorem persen-  
sit omnium acerbissimum. Nam quamvis multa sint,  
quæ creare nobis molestiam, aut afferre in vitâ hac mor-  
rorem possint, omninò tamen habendum existimandum-  
que est, nihil tristius evenire unquam, aut miserius pos-  
se, quam ubi duo summâ concordia, & longâ præterea an-  
norum consuetudine juncti, sanctissimèq; amantes neces-  
sitate ultimâ divelluntur. Ceterùm VIDUA hætenus, libe-  
risq; omnibus, simulq; VIRO orba, ita vixit, ita sese omni  
ex parte gessit, uti norma atq; regula esse, quam quæque ce-  
terarū VIDUARTIM sequeretur; aut esse speculū quasi quod-  
dā quiret, in quod curatissimè quæcunq; aliæ hujusce con-  
ditionis MATRONÆ summo jure intuerentur. Hoc  
quùm statu foret, aut tam vivendi præclarâ conditione  
svavissimo MARITO totos X. annos superstiteret, facti-  
tatum est, uti lapsi nuperimè Maji 28. die (quo ipso sacris  
sese ἀγοάμασι in Æde Marianâ, more sveto, recreârat) mor-  
bo colico, domum reversa, attineretur, familiari quidem  
antehac sibi satis, identidemq; debellato, sed jam adeo  
pertinaciter hærente, ut superari ne exquisitissimis qui-  
dem, abs VIRO Experientis. & Excell. DN. JOANNE  
BACMEISTERO, Med. D. & Superiorum Mathematicum.  
Professore celeberrimo, Collegâ & Amico nostro hono-  
ratisimo, adhibitis remediis, quiret. Quam morbi vio-  
lentiam cum satis hac certè vice OPTIMA NOSTRA  
intelligeret, ad mortem sese totam, supra quam dici scri-  
bivè possit, piè, composuit; soli q; DEO fisa, & merito  
SOSPITATORIS sui, nostriq; omnium JESU CHRIS-  
TI, unicè nixa, brevi post placidè, sineq; ullo violenti-  
ori corporis motu expiravit. Ingressa feliciter eandem  
man-

mansiones, ad quas MARITUS svavissimus ante hoc de-  
cennium, parili felicitate præierat viam. Vestrarum jam,  
CIVES ACADEMICI, omnium ordinum honoratis-  
simi, partium fuerit, MATRONARUM clarissimæ fre-  
quentes ire Exeqvias. Id quod uti prolixè faciatis, cum  
FUNCTÆ, quam ex re & vero laudavimus, virtus, tum,  
quâ nata est, eximia ac celebratissima Familia, monere  
vos possunt. Nos verò etiam studiosè id ipsum, serioq;  
abs vobis contendimus. Inter eundem verò vestræ ipso-  
rummet mortalitatis, hac tam illustri occasione, reminisci  
minimè, si sapitis, negligetis.

*P. P. Sub Sigillo Rectoratus, die IV. Junij,*

*Anno 1679.*













mus) abrupta est, voce novâ instrueretur, credimus, illa qverula *hieromartyris NE, in qua nos reservasti tempora!* sed iſſatâ ac gratâ prædicationis potiùs conjugibus *me temporibus voluisti ereptam!* Et tuſtis etiam temporibus non ſemper beatunior rebus mortalium, adſpirârît aur maximè non tantùm communes generiſed & gentium ac Civitatum peculiareſ

*velut agmine facta*

*Quâ datâ porta ruunt, & terras turbant*

Ut adeo longè rectiùs DEO LIBERATI habeant, qui tantis calamitatibus ſubdupericulis diuturnioribus expoſiti, & ſuamiferantur, & miſeriam communem tam itaq; felicemq; jure prædicamus merce quæ optimè hâc in vitâ tot tranſeſideq; verâ inſtructa, ſpe certâ ſulta, parofâ munita, pie feliciterq; ex hâc miſæternam melioremq; vitam commigrâtimo FVNCTÆ honori ſervitura arbitradio jam porro attexemus. Nata eſt ANXV. die 23. Nov. Patre VIRO Cl. & ExPETRO SASSIO, Logices ProfeſſorPhiloph. Seniore graviffimo; MatreHagemeiſters / Guſtrovianâ; Feminarupaternalis fuit VIR præſtantiffimus, DNESIUS, Civis apud nos & Mercator Præterna, ANNA BURENIA, virtutibusprætrona. Proavus paternalis extitit DN.Senator Reip. hujus Spectatiſſimus. THALIA TURCOVIA, ex per-antiquâ

